

Flora

oder

Botanische Zeitung.

Nro. 46. Regensburg, am 14. Dec. 1822.

I. Aufsätze.

Observationes quaedam in *Potentillam auream* et alpestram; auctore A. de Haller.

In *Flora Lapponica* Ed. I. sub Nr. 212. habet: *P.* foliis quinatis incis, caule adsurgente: cum synonymo *Bauhini* Pin. 325. quod est: *Quinquefolium minus repens lanug. luteum*, *Rudbeckii* atque *Tillandsii*, quae ignota atque incerta. *Bauhini* Synonymon autem pertinet ad *Pot. vernam* L. uti ex verbis *Bauhini* et citata icone atque descriptione *Clusii* l. *Quinquefol.* IV. 1. species, pag. CVI. apparet. In 2da Editione *Smithii* hic numerus audit: *Pot. verna*.

In *Flora Suecica* Ed. I. p. 152. Nr. 419. adest: *P.* fol. radicalibus quinatis acute incis, caulinis ternatis, caule declinato, cum Synonymis *H. Cliff.*, *Florae Lapponicae*, *Rudbeckii*, *Tillandsii* supra citatis, (ad eandem pertinentibus speciem) *Bauhini* Pin. 325. *Quinquefolium minus repens alpinum aureum*, et synonymon *Halleri* *Enumer.* p. 339. Nr. 5. t. 6. p. 4. quod est *mea Pot. aurea*, nec *Pot. alpestris*. *Bauhini* syno-

Z z

nymon manifeste ad meam *P. auream* pertinet, quod et citato quinquefolio III. Clus. Hist. I. CVI. cum icone luce clarius fit.

In Flora Suecica Ed. II. p. 177. Nr. 455. adest: *Pot. verna*, cum synonymis Fl. Suec. citatis, Spec. pl. Ed. I. 498. Fl. Lapp. 412. Quing. m. rep. lut. Bauh. Pin. 325. Quinquefolium minus Tabernaemontani ic. 123. atque illa Rudbeckii atque Tillandsii. Ergo planta 212. Fl. Lapp. et Nr. 419. Fl. Suec. edit. I. est. *P. verna* L. Summus vir quidem in Sp. plant. Ed. II. atque Syst. Nat. minus diligentiae et criticae adhibebat in discernendis suis synonymis, hanc operam discipulis, minus curiosis, permittens; at in prioribus hanc vituperationem non meritus est. Bauhini Quing. minus rep. lut. incertum est synonymon; at certe non ad *Pot. anreum*, potius ad vernam pertinet. Tabernaemontani vero consistit *P. vernam*, nec ad aliam speciem referri potest. Descriptio Linnaei vernam depingit, non auream.

In Spec. plantarum Ed. I. nulla adest aurea, sed p. 498. sub Nr. 14. exhibet: *Pot. vernam* fol. rad. quinatis acute serratis, caulinis ternatis, caule declinato, cum synonymis Florae Lapponicae 212. Fl. Suec. Ed. I. 419. Hort. Cliff. 194. Royen LB. 276. quae omnia ad *P. vernam* pertinent: porro: *Potentilla* Hall. En. p. 339. Nr. 5. t. 6. f. 4. Quinquefolium minus repens alpinum aureum Bauh. Pin. 325. Ex his clarum certumque est, tunc temporis Linnaeum *P. auream* suam ignorasse, atque perperam synonyma Halleri

et Baulhini ad suam vernam traxisse. Nec improbabile, cum *Potentilla alpestris* mea, Oed. tab. 114. in Scandinavia proveniat, Linnaeum illam ut varietatem cum sua verna conjunxisse, uti post eum Willdenow et Wahlenberg.

Sed intervallo temporis a 1753. ad 1756. videtur nostram *P. auream* alpium australiorum incolam accepisse, num a Seguierjo, num a Hallero, non satis liquet. In plantis Martyno - Burserianis non aderat, nam in Centuriis earum non recensetur. Smith, possessor herbarii Linnaeani generosiss. me in literis certiore fecit, a Seguiero missam habuisse, cui fidem habeamus oportet, quamvis alias plantas a Seguiero acceptas, nomine ejus addito designabat. In Dissertatione enim, quae inscribitur: Centuria II. plantarum, habita 1756 Junio II. in Amoenitatibus academicis IV. nr. LXIII. p. 297. et seq. sub nr. 154. descripta est: *P. aurea* foliis radicalibus quinatis serratis acuminatis, caulinis ternatis, caule declinato. Cum synonymis: Hall. Enum. p. 339. t. 6. f. 4. et Bauh. Pin. 325. q. m. r. I. — Locus: Alpes Helvetiae. Descriptio distinctissima. Nunc primum de similitudine illa graphica foliorum *Alchemillae* alpinae verba fecit, et foliola acutissime dentata, approximata tribuit. In sequente nr. 155. eam a Seguiero missam, nomine ejus apposito, indicavit.

In Syst. Nat. Ed. X. 1759. T. II. p. 1064. distinguit auream ac vernam, illam eadem phrasi specifica, ut in Cent. II. l. c.

Z z 2

In Spec. pl. Ed. 2. T. I. p. 712. Nr. 14. sistitur aurea cum Synonymis tantum Halleri et Bauhini; ac vernae attribuit synonyma supra dicta Fl. Lapp. 212. Fl. Suec. Hort. Cliff. Bauh. Pin. Tabern. 123. (quae nostra verna) ut in Fl. Suec. Ed. II.

His luce meridiana clarius elucet, P. auream Linnaei esse nostram ex nostris alpibus, et Linnaeum illam speciem ex planta, a nostris alpibus accepta, construxisse; nec P. Salisburgensem Haenke, P. alpestris nostram cum P. aurea L. unam et eandem speciem esse.

In Fl. Lapponica Wahlenbergii P. alpestris procul dubio adest sub nomine: P. verna β . quod patet praesertim ex descriptione; majorem tenim dicit vernam, pilosque copiosiores magisque patentibus numeroque constante quinario foliolorum radicalium; atque ex allegato synonymo Oed. Fl. D. t. 114. — Pot. auream distinguit bene doct. Auctor ciliis sericeis, et forma Alchemillae simili foliolorum. Miror tamen huc trahere Nr. 455. Fl. Suecicae, cujus descriptio multo melius congruit cum verna.

Optimus Retzius denique in Flora Scandinavica Ed. II. p. 122. Nr. 638. rursus P. auream habet, quae procul dubio nostra P. alpestris, nec P. aurea L. Nam imo haec exsulat ex Scandinavia, 2do citat Oed. Fl. D. t. 114. 3tio in nota dicit „P. verna vere diversa aegre distinguitur“ quod quadrat in P. alpestris non in vernam. Numerum 455, Fl. suec. tum trahit ad P. vernam. ibid.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1822

Band/Volume: [5](#)

Autor(en)/Author(s): Anonymous

Artikel/Article: [Aufsätze 721-724](#)